

Summæ Potestates habeant jus condendi Leges, eo ipso quo jus habent regendi subditos, quod citra legis subsidium difficulter vel planè fieri nequit, ideoque subditis obsequium præstare incumbit, secundum dictamen Conscientiæ, & num non ille, qui leges, à legitima potestate latae, spernit, culpam contrahit, DEI Ministrum contemnit & Conscientiam suam contaminat? Accedit Consensus Theologorum, quibus faciem præfert Augustinus lib. 19. de Civitate DEI cap. 17.

LXI.

Excedunt hīc Pontificii primò, qui cum Bellarmino statuunt, Legem civilem non minus obligare in Conscientia, quam Lex divina, et si minus firma & stabilis sit hac Lex, quam illa. addito, quod Lex divina & humana differant quoad firmitatem, quia divina non possit abrogari ab homine, humana possit; at qua obligationem non differre, utramque enim obligare in Conscientia nunc ad mortale, nunc ad veniale peccatum pro rerum ipsarum gravitate, ita ut nulla sit melior Regula ad discernendum, utrum Lex humana obliget ad mortale, an ad veniale, quam cogitare, legem illam esse divinam, & videre, si divina esset, quomodo obligaret. Accensentur autem Bellarmino in hac sententia ab ipsis Pontificiis, Turrianus, Covarruvias, Navarrus, Felinus, Anbaranus, & Johannes Calderinus, & alii. Secundò deficiunt Anabaptista & Libertini, quos describit Stanislaus Rescius sequentibus verbis: Fanaticum hominum genus, in quo jure credas revixisse Gnosticos & Valentinitas: quibus nil aquæ displiceret ac simplex, proprius, & germanus Scripturae sensus. Illis Christus est satanas, vitium virtus, & virtus vitium. Nihil enim ex eorum sententiâ peccatum est, nisi eorum opinione qui se peccare putant. Verus Dei timor, & eo imbuea conscientia, pro inferno illis habetur; pro paradiſo autem conscientia divini iudicis contemporix, secura, stupida & consopita. Docent, omnia homini esse licita, sine ullâ exceptione, omneque vivendi genus probant: lenonem suo volunt fungi munere, fures andauerter furari tubent; matrimonia dissolvi volunt, cum uxor mariti sui tadium ceperit: unde promiscuos laudant concubitus, idque vocant spiritale matrimonium. Communionem Sanctorum vocant communio nem bonorum temporalium, ideoque quantum quisque potest rapiat, suadent. Resurrectionem iam factam esse dicunt, neque aliud expetandum iudicium. Nam Christianos omnes resurrexisse affirmant, quando animam humanam sciens iam factam esse illum DEI spiritum immor-